



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 46. Vtrum Deus per scientiam mediam, & independenter ab omni suo actu libero absolutè existente, sciat, quid liberum arbitriu[m] diuinum esset facturum, si constitueretur in hoc, vel illo actu ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

34. Urgebis rursus: nunc est verum, quod Petrus tunc, quando poneretur conditio, conuerteretur; sed hoc est verum ita, vt Deus neque liberè velit, neque liberè permittat hanc veritatem; ergo hæc veritas datur purè casualiter respectu Dei.

35. Respondeo, distinguo maiorem: nunc est verum, quod Petrus conuerteretur, & hoc non significat aliud, quam illam conuersionem, quæ non est, sed esset, concedo; & hoc significat aliud, nego; & distinguo minorem: hoc est ita verum, vt Deus neque absolutè velit, neque absolutè permittat hanc veritatem, concedo; vt Deus neque vellet, neque permitteret illam veritatem, posita conditione, nego; & nego consequentiam. Nunc esse verum, quod Petrus conuerteretur, nihil aliud est, quam quod Petrus conuerteretur; sed quod Petrus conuerteretur, esset à Deo volitum, vel permissum, adeoque non esset casuale; ergo hæc veritas non est Deo casualis.

36. Superesset, vt explicaretur, quo pacto scientia media sit libera creaturis, non autem Deo. Sed hæc, & alia explicanda sunt in questione de concordia libertatis cum diuina scientia, & prædestinatione.

37. Ad 4. concedo maiorem, & distinguo minorem: conditionata contingentia, si poneretur, essent dependenter ab aliquo decreto, quod nunc existat absolutè, nego minorem; quod tunc existeret absolutè, concedo minorem; & nego consequentiam. Pœnitentia Tyrionum e. g. si esset, non esset dependenter ab aliquo decreto, quod nunc absolutè existat, sed dependenter ab aliquo decreto, quod tunc absolutè existeret; ergo Deus non debet illam cognoscere in aliquo decreto, quod nunc absolutè existat, sed solum debet cognoscere, quod pœnitentia Tyrionum esset dependenter ab aliquo decreto, quod tunc absolutè existeret; hoc autem Deus cognoscit per scientiam mediam, per quam videt, quod si Tyrii vidissent miracula Christi, & præuenti fuissent tali auxilio interno, & decreto, per quod Deus obtulisset illis suū concursū, liberè pœnitentiam egissent, Deo efficaciter præueniente pœnitentiam ipsorum per decretum regulatum à scientia media, adeoque ab ipsis impedibile, vt dicitur inferius, cum agatur de concordia libertatis cum diuina prædestinatione. Hic solum debet aduerti, quod cum explicatur obiectum scientiæ mediæ, ex parte conditionis debent poni illa omnia, & sola, quæ constituunt actum primum proximum indifferentem, ex parte conditionati poni debet actus secundus liber, & omnia, quæ sunt essentialiter connexa cum tali actu secundo; & quia actus primus proximus, atque indifferens non constituitur per decretum efficaciter prædefinitiuum, neque per scientiam mediam; ideo decretum prædefinitiuum, scientia media, & omnia alia essentialiter connexa cum actu secundo, non debent poni ex parte conditionis, sed ex parte conditionati.

Exempli gratia Deus videt per scientiam mediam, quod si Tyrii vidissent miracula Christi, & præuenti fuissent talibus auxiliis internis &c. pœnitentiam egissent, ipso Deo prædefiniendo efficaciter pœnitentiam per decretum regulatum à tali scientia media, adeoque impedibile ab ipsis Tyriis.

QVÆSTIO XLVI.

Virum Deus per scientiam mediam, & independenter ab omni suo actu libero absolutè existente, sciat, quid liberum arbitrium diuinum esset facturum, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo?

1. **V**idetur scire per scientiam mediam, primo quia Deus per scientiam mediam scit, quid liberum arbitrium creatum esset liberè facturum, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo; ergo per scientiam mediam potest etiam scire, quid liberum arbitrium diuinum esset liberè facturum, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo.

2. Secundò quidquid esset liberè facturum liberum arbitrium creatum, si poneretur in hoc, vel illo actu primo proximo, esset etiam liberè facturum liberum arbitrium diuinum: e. g. si Petrus cum hac vocatione liberè conuerteretur, Deus liberè Petrum cum eadem vocatione conuerteret: si Iudas cum hac vocatione liberè traderet Christum, Deus liberè permitteret, vt Iudas cum hac vocatione liberè traderet Christum; sed Deus per scientiam mediam scit, quid liberè esset facturum liberum arbitrium creatum, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo: e. g. scit, quod Petrus si acciperet hanc vocationem, liberè conuerteretur, & quod Iudas si acciperet hanc vocationem, liberè traderet Christum; ergo Deus per scientiam mediam scit etiam, quid sub eadem hypothese esset liberè facturum liberum arbitrium diuinum: e. g. scit, quod si vocaret Petrum hac vocatione, liberè eum conuerteret: scit, quod si vocaret Iudam hac vocatione, liberè permetteret, vt Iudas traderet Christum.

3. Tertiò in eo signo, in quo Deus cognoscit, quid esset facturum liberum arbitrium creatum, si constitueretur in hoc, vel in illo actu primo proximo, potest, ac debet etiam cognoscere, quid esset facturum liberum arbitrium diuinum, si per varias scientias medias poneretur in hoc, vel illo actu primo proximo; sed Deus cognoscit, quid esset facturum liberum arbitrium creatum in signo priori, & antecedenti ad omnia sua decreta; ergo debet etiam cognoscere, quid esset facturum liberum arbitrium diuinum, in signo priori, & indepen-

pendenter à suis decretis liberis, adeoque per scientiam mediam.

4. Quartò Deus per hoc præcisè, quod exercitium liberum voluntatis creatæ sub aliqua hyporhesi conditionatè esset, sufficenter determinatur ad cognoscendum, quod esset; ergo per hoc præcisè, quod exercitium liberum voluntatis diuinæ sub aliqua hyporhesi conditionatè esset, determinatur ad cognoscendum, quod esset: e.g. sicut Deus per hoc præcisè, quod si Iudas vocatus fuisset alia vocatione, fuisset conuersus, determinatur ad cognoscendum, quod si Iudas vocatus fuisset alia vocatione, fuisset conuersus, sic per hoc præcisè, quod Deus si habuisset aliam scientiam mediam, dedisset Iudæ vocationem, qua fuisset conuersus, determinatur ad cognoscendum, quod si habuisset aliam scientiam mediam, dedisset Iudæ vocationem, qua fuisset conuersus; ergo vt Deus determinetur ad cognoscendum, quid sub hyporhesi alterius scientiæ mediæ esset liberè facturus, non requiritur decretum absolutè existens.

5. Quintò si Deus non posset nisi in suis decretis absolutè existentibus videre, quid esset facturus, si habuisset alias scientias medias, sequeretur, quod Deus de facto deberet necessariò habere decreta, per quæ determinet, ac decernat, quid esset facturus, si habuisset quamlibet scientiam mediam possibilem, quam non habet de facto; sed hoc est absurdum; ergo &c.

6. Respondeo, quod vt intelligatur sensus quæstionis, supponendum est Deum de facto liberè elegisse creare Mundum, & hunc ordinem rerum, in quo Angeli, & Adamus peccarunt &c. & constitutum fuisse in actu primo proximo ad hanc electionem per omnem cognitionem, & scientiam, per quam directus fuit ad eligendam creationem Mundi, & ordinis rerum. Quia vero Deus omnia eligit ex perfecta prouidentia, directus fuit ad electionem Mundi, & ordinis rerum per scientiam simplicis intelligentiæ, & per scientiam mediam, qua vidit, quod si crearet Mundum, & hunc ordinem rerum, Angeli, & Adam peccarent, & sequerentur ea, quæ de facto sunt sequuta; sed Deus loco huius scientiæ mediæ potuit habere oppositam scientiam mediam, qua videret, quod Angeli, & Adam non essent peccaturi; ergo Deus per diuersas, & innumerabiles scientias medias potuit constitui in diuersis, atque innumerabilibus actibus primis proximis ad electionem creandi Mundum, & ad omnes alias electiones. Hinc oritur quæstio, & dubitatur, vtrum, & per quam scientiam Deus reflexè cognoscat, quid ipse fuisset facturus, si habuisset alias scientias medias, per quas fuisset constitutus in alijs actibus primis proximis ad electionem creandi Mundum &c: e.g. vtrum, & per quam scientiam videat, an si per scientiam mediam vidisset, quod si crearet Mundum, & hunc ordinem rerum, Angeli, & Adam non fuissent pecca-

turi, creasset, vel non creasset Mundum, & hunc ordinem rerum.

7. Quatuor possunt esse sententiæ. Prima negat Deum hæc certò cognoscere. Sed hæc sententia reiecta est quæstione superiori, quia sequeretur, quod Deus ad quæstiones, quibus hæc quærentur, deberet respondere *nescio*, vel *dubito*. Reijci etiam potest ex Scriptura. Nam Gen. 18. Deus dixit Abraham: *Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio Ciuitatis, dimittam omni loco propter eos*: ergo Deus sciebat, quod si fuissent in Sodomis quinquaginta iusti, non euertisset illam ciuitatem; sed hoc erat Deo liberum; ergo Deus sciebat, quid liberè ipse fuisset facturus sub hyporhesi, quæ nunquam est posita, & qua posita, potuisset facere hoc, vel oppositum.

8. Secunda sententia docet Deum hæc cognoscere solum per scientiam mediam reflexam, independentem ab omni suo decreto absolutè existente.

9. Tertia docet Deum hæc cognoscere duplici scientia, hoc est media independente ab omnibus suis decretis absolutè existentibus, & visionis fundata in decretis absolutè existentibus. Hanc opinionem videtur docere Ruiz tomo de scientia Dei, disp. 87. sect. 1. vbi alios pro ea assert auctores.

10. Contra has opiniones dicendum est cum quarta sententia: Deus quid ipsemet esset liberè facturus, si haberet alias scientias medias, cognoscit non per scientiam mediam, sed per scientiam visionis, dependenter à suis decretis absolutè existentibus. Hanc sententiam expressè docuit Molina in sua Concordia Antuerpiæ edita anno 1595. quæst. 14. art. 13. disp. 52. §. *Illud hoc loco est obseruandum*, quem plures alij secuti sunt.

11. Probatur primo: nam sicut Deus omnem scientiam sibi non liberam, & directiuam ad actus liberos debet habere independentem ab omni suo actu libero, sic omnem scientiam sibi essentialiter liberā libertate absolutè existente ad illam habendam, vel non habendam, debet habere dependenter à suo actu libero absolutè existente: sed scientia, qua Deus cognoscit, quid liberum arbitrium creatum esset facturum sub hac, vel illa hyporhesi, sub qua posset facere vel hoc, vel oppositum, est Deo non libera, ac debet dirigere Deum ad suos actus liberos: scientia autem reflexa, de qua loquimur, est Deo libera libertate absolutè existente, ac non debet Deum dirigere ad suos actus liberos: e.g. scientia, qua Deus cognoscit, quod si vidisset per scientiam mediam fore inefficacia auxilia, quæ de facto dedit Sancto Petro, daturus fuisset illi alia auxilia efficacia, est Deo libera libertate absolutè existente; nam sicut Deus est liber ad decernendum dare, vel non dare alia auxilia efficacia, si videret hæc fore inefficacia, sic potest se determinare ad habendam scientiam reflexam, quod illa esset daturus, vel non esset daturus; ergo scientiam reflexam, de qua loquimur, Deus de-

debet habere dependentem à suo actu libero absolute existente.

12. Dices: sicut Deus scientiam conditionatam impedibilem à libero arbitrio creato potest habere independentem ab actu libero creaturæ absolute existente, & solum dependentem ab actu libero creaturæ conditionate existente, sic scientiam conditionatam impedibilem à libero arbitrio diuino, Deus potest habere independentem à suo actu libero absolute existente, ac solum dependentem à suo actu libero conditionate existente.

13. Sed contra: nam eatenus Deus scientiam conditionatam impedibilem à libero arbitrio creato potest habere independentem ab actu libero creaturæ absolute existente, quatenus talis scientia conditionata non supponit essentialiter liberum arbitrium creatum ut absolute existens, immò potest dari absque eo quod liberum arbitrium creatum absolute existat, & cum debeat Deum dirigere ad producendum liberum arbitrium creatum, debet intelligi in Deo, antequam detur absolute liberum arbitrium creatum: sed scientia conditionata, qua Deus videt, quid ipsemet esset factururus, si haberet alias scientias medias, supponit essentialiter liberum arbitrium diuinum ut absolute existens, & potens se proximè determinare ad illam habendam, vel non habendam, nec potest vilo pacto dirigere Deum ad ponendum suum liberum arbitrium; ergo talem scientiam conditionatam non potest habere independentem à suo actu libero absolute existente.

14. Confirmatur: nam est absurdum, quod Deus hic & nunc sit proximè liber ad aliquam scientiam habendam, vel non habendam, & quod illam de facto habeat independentem ab hoc, quod liberè se hic & nunc determinet ad illam habendam. Quo pacto enim in intellectu diuino resultat scientia Deo libera independentem ab hoc, quod liberè se ad illam determinet per vllum actum liberum absolute existentem? sed Deus esset proximè liber ad habendam, vel non habendam scientiam, qua cognoscit, quod si per scientiam mediam vidisset hæc auxilia fore inefficacia, dedisset Sancto Petro alia auxilia efficacia, & de facto illam haberet independentem ab hoc, quod ad illam se determinaret per vllum actum liberum absolute existentem; ergo &c.

25. Probatur secundò conclusio: nam sequeretur, quod Deus cognosceret se creaturum Mundum, independentem ab hoc, quod liberè vellet creare Mundum: se saluaturum Sanctum Petrum, & damnaturum Iudam, independentem ab hoc, quod vellet Sanctum Petrum saluare, & Iudam damnare; & vniuersim cognosceret omnia, quæ est liberè absolute factururus, independentem ab omni decreto libero absolute existente; sed hæc sunt absurda, & inaudita in scholis; ergo &c. Probatur maior: nam per aduersarios Deus per scientiam mediam reflexam independentem ab

omni suo decreto absolute existente cognoscit, quod si haberet hanc scientiam mediam directam, quam habet de facto, esset creaturus Mundum, permitturus peccatum Angelorum, & Adami, missurus Christum Redemptorem, saluaturus Petrum, & omnes prædestinatos, damnaturus Iudam, & omnes reprobos, & factururus omnia, quæ de facto est factururus; sed Deus independentem ab omni suo decreto libero absolute existente cognoscit se habere totam scientiam mediam, quam habet de facto; ergo Deus per hoc complexum scientiæ mediæ reflexæ, & directæ independentem ab omni suo decreto absolute existente cognoscit, quod est creaturus Mundum, permitturus peccatum Adami &c. Confirmatur, & explicatur argumentum. Qui enim cognoscit aliquam veritatem conditionatam, & videt purificari conditionem, eo ipso certificatur de veritate absoluta; sed Deus per scientiam mediam reflexam independentem à suo decreto absolute existente cognoscit hanc veritatem conditionatam, quod si haberet hanc scientiam directam, creabit Mundum, permittet peccatum Adami, saluabit Petrum, & omnes prædestinatos, damnabit Iudam, & omnes reprobos, & independentem etiam ad omni suo decreto absolute existente cognoscit purificari conditionem, & se habere totam hanc scientiam mediam; ergo in hoc complexo veritatis conditionalis, & purificationis conditionis, independentem ab omni suo decreto absolute existente, videt omnes has veritates contingentes absolutas. Hoc autem est absurdum, & inauditum in scholis. Confirmatur, nam sequeretur quod Deus independentem à suis decretis, quibus prædestinatos prædestinat ad gloriam, & salutem, reprobos reprobat à salute, cognosceret absolute, quinam essent saluandi, quinam essent damnandi, quod est absurdum.

16. Respondent aliqui scientiam mediam directam, & reflexam seorsim dari in Deo independentem ab omni decreto absolute existente: at complexum vtriusque scientiæ, cum sit connexum cum decretis absolute existentibus, dari dependentem à decretis absolute existentibus; sed Deus contingentia absoluta videt in tali complexo; ergo videt solum dependentem à decretis absolute existentibus.

17. Sed contra primò, nam est intelligibile, quod scientia media directæ detur independentem ab omni decreto absolute existente, scientia etiam reflexa detur independentem ab omni decreto absolute existente, & tamen complexum vtriusque non detur independentem ab omni decreto absolute existente, præsertim cum tale complexum vel nihil addat supra singulas scientias seorsim, vel addat solum relationem simultatis, quæ necessariò resultat, positis extremis. Secundò contra est, quia eatenus complexum illud datur dependentem à decretis absolute existentibus, quatenus Deo liberum est, ut detur, vel non detur.

tur illud complexum; sed Deo liberum est, ut detur; vel non detur scientia conditionata reflexa, ut dictum est num. 11; ergo etiam scientia conditionata reflexa datur in Deo dependenter à decretis absolutè existentibus.

18. Probatur tertio conclusio: nam fundamentum vel vnicum, vel præcipuum, quo aduersarij probant, Deum independentem ab omni suo decreto absolutè existente, cognoscere reflexè, quid ipsemet esset liberè facturus, si habuisset alias scientias medias directas, est paritas scientiæ mediæ directæ; sicut enim Deus independentem ab omni actu absolutè existente videt, quid esset facturum liberum arbitrium creatum, sic independentem ab omni suo decreto absolutè existente debet videre, quid esset facturum liberum arbitrium in creatum; sed hæc paritas non valet, & ab ipsis aduersarijs non potest sustineri; ergo &c. Probatur minor: & primo probatur, quod paritas non valeat. Datur enim manifesta disparitas. Deus enim scientiam sibi non liberam, & directiui ad omnes suos actus liberos debet habere independentem ab omni suo actu libero absolutè existente; sed scientiam, qua Deus videt, quid esset facturum liberum arbitrium, si constitueretur in hoc, vel in illo actu primo proximo, est Deo non libera, ac debet Deum dirigere ad actus liberos; ergo Deus debet illam habere independentem ab omni suo actu libero absolutè existente. At scientiam sibi essentialiter liberam libertate absolutè existente, Deus debet habere dependentem ab actibus liberis, quibus se determinat ad illam habendam potius, quam non habendam, ut explicatum est num. 13. & 14. Rursus scientiam, quæ non essentialiter supponit in creatura libertatem absolutè existentem, sed debet Deum dirigere ad dandam, vel non dandam creaturis libertatem absolutè existentem, Deus debet habere independentem ab actu libero creaturæ absolutè existente; sed scientiam, qua Deus videt, quid liberum arbitrium creatum esset facturum, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo, non supponit essentialiter in creaturis libertatem absolutè existentem, sed debet Deum dirigere ad creaturas creandas, vel non creandas, & ad dandam, vel non dandam ipsis libertatem absolutè existentem; ergo talem scientiam Deus debet habere independentem ab omni actu libero creaturæ absolutè existente. At scientiam, quæ essentialiter supponit in Deo libertatem absolutè existentem ad illam habendam, vel non habendam, qualis est scientia reflexa, de qua loquimur, Deus debet habere dependentem à suis decretis absolutè existentibus; ergo disparitas est manifesta.

19. Probatur iam, quod neque aduersarij possint sustinere paritatem inter scientiam conditionatam directam, & reflexam. Scientia enim conditionata directæ, qua Deus cognoscit, quid esset facturum liberum arbitrium creatum, si constitueretur in hoc, vel illo

actu primo proximo, est scientia practica, & dirigit Deum ad sua decreta; sed scientia conditionata reflexa, qua Deus cognoscit, quid ipsemet esset liberè facturus, si haberet hanc, vel illam scientiam mediam directam, non potest esse practica, nec potest Deum dirigere ad sua decreta, sed debet poni purè speculatiua; ergo aduersarij non possunt sustinere paritatem inter scientiam conditionatam directam, & reflexam. Probatur minor: nam si scientia conditionata reflexa esset practica, & dirigeret Deum ad sua decreta libera, eo ipso talia decreta non essent libera; ergo repugnat, ut scientia media reflexa sit practica, & dirigat Deum ad decreta libera. Probatur antecedens: cum enim cognitio dirigens ad actum est essentialiter connexa cum actu, & inconiungibilis cum negatione actus, aufert libertatem actus directi, ut omnes fatentur, etiam physicè prædeterminantes, qui ad hoc, ut actus sit liber, requirunt saltem, ut cognitio dirigens sit indifferens, ac coniungibilis cum actu, tum cum negatione actus; sed cognitio dirigens ad diuina decreta esset essentialiter connexa cum decretis, & inconiungibilis cum eorum negatione; ergo &c. Probatur minor: Deus e. g. ad decretum creandi Mundum, & ponendi hanc seriem rerum, directus fuisset à scientia media directæ, qua ab æterno cognoscit, quid essent facturi homines, & Angeli, si ponerentur in ijs circumstantijs, in quibus sunt positi, & quid essent facturi, si ponerentur in omnibus alijs circumstantijs; & simul directus fuisset à scientia media reflexa, qua cognouisset, quid ipsemet Deus esset factururus, si habuisset totam scientiam mediam directam, quam habuit de facto, per quam scientiam reflexè cognouisset, quod si haberet hanc scientiam mediam directam, decerneret creare Mundum, & hanc seriem rerum; sed complexum vtriusque scientiæ, directæ nimirum, & reflexæ, est essentialiter connexum cum electione creandi Mundum, & hanc seriem rerum; implicat enim, ut Deus cognoscat, si habuero talem scientiam, decernam creare, & quod cognoscat simul se habere talem scientiam, & tamen non decernat creare; ergo cognitio dirigens ad diuina decreta auferret libertatem decretorum. Sicut ergo aduersarij fatentur scientiam conditionatam directam, quia est Deo non libera, esse practicam, & dirigere Deum ad suos actus liberos; scientiam conditionatam reflexam, quia est Deo libera, non esse practicam, sed purè speculatiuam, ac non dirigere Deum ad suos actus liberos; sic debent tateri scientiam directam, quia est Deo non libera, dari independentem ab omnibus actibus liberis absolutè existentibus, adeoque esse scientiam mediam; scientiam reflexam, quia est Deo libera, dari dependentem ab actibus liberis Dei absolutè existentibus, ac proinde non esse scientiam mediam, sed visionis.

20. Probatur quarto conclusio: nam opi-

nio docens Deum cognoscere non per scientiam mediam, sed per scientiam visionis, quid ipsemet esset liberè facturus, si haberet alias scientias medias, melius saluat libertatem creatam, ut explicabitur in questione de concordia libertatis creatæ cum diuina Prædestinatione; ergo etiam ex hoc capite est præferenda.

21. Inferitur primò, per quam scientiam Deus cognoscat, quid fieret sub conditionibus disparatis, puta vtrum si Turca saltaret Constantinopoli, Petrus Romæ conuerteretur.

22. Dicendum, quod obiectum conditionatum potest considerari, vel ut liberum Deo, vel ut liberum creaturæ; si consideretur ut liberum Creaturæ, Deus illud cognoscit per scientiam mediam; e. g. in casu posito quia conuersio esset libera Petro, Deus per scientiam mediam videt, quod si Turca saltaret Constantinopoli, Petrus autem Romæ esset in hoc actu primo proximo ad se conuertendum, conuerteretur, & sic de omnibus actibus primis proximis. Si verò quæretur, per quam scientiam Deus videat, an si Turca saltaret Constantinopoli, Petrus Romæ constitueretur in actu primo proximo, in quo conuerteretur, vel in actu primo proximo, in quo non conuerteretur, vel potius non constitueretur in illo actu primo, in quo posset proximè conuerti: respondeo, quod quia Deo liberum est sub conditione, quod Turca saltaret Constantinopoli, constituere Petrum, vel in actu primo proximo, in quo conuerteretur, vel in actu primo proximo, in quo non conuerteretur &c, Deus autem per scientiam visionis in suis decretis absolute existentibus videt, quid ipsemet esset facturus pro omnibus circumstantiis possibilibus, per eandem scientiam visionis videt etiam, an si Turca saltaret, constitueret Petrum in actu primo proximo, in quo conuerteretur, vel in actu primo proximo, in quo non conuerteretur. Breuiter Deus videt, quod sub conditionibus disparatis fieret hoc, vel illud, prout liberè disponderet, aut permetteret, & simul videt, quid ipsemet liberè disponderet, aut permetteret, adeoque quid determinatè fieret. Per hanc doctrinam benè penetratam, & applicatam solui possunt plurimæ difficultates circa conditionata, quæ videntur disparata. Nam quia Deus in decernendo rerum ordine attendit ad omnia, & singula, nulla obiecta sunt propriè disparata respectu Dei.

23. Inferitur secundo, per quam scientiam Deus cognoscat, quid esset facturum liberum arbitrium sub conditione impossibili, puta vtrum si Lucifer fuisset Michael, peccasset, vel non peccasset.

24. Dicendum, quod Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit, quod si Lucifer fuisset Michael, ex prædicato hypothesis, quod nimirum fuisset Michael, sequitur, quod fecisset omnia, quæ de facto esset factu-

rus Michael; ex subiecto hypothesis, quod nimirum esset Lucifer, sequitur, quod esset facturus omnia, quæ de facto esset facturus Lucifer. Et quia per scientiam mediam videt in particulari, quid in omni casu possibili facturus esset tum Lucifer, tum Michael, ideo videt, quid pro quolibet casu particulari, si Lucifer esset Michael, esset facturus ex vi prædicati, vel ex vi subiecti, & simul videt, quod ex vi integræ hypothesis pro multis casibus facturus esset simul opposita: e. g. esset simul peccaturus, & non peccaturus, adeoque propter hoc ipsum est impossibilis hypothesis, quod Lucifer sit Michael.

25. Debet aduerti, quod cum vel hic, vel alibi dico, Deum cognoscere impossibilia, abstraho à questione, in qua quæritur, vtrum impossibilia sint impossibilia exercitè, hoc est ita, ut includant aliquod obiectum contradistinctum ab omnibus possibilibus, ut ego docui in logica; an verò sint impossibilia solum signatè, hoc est ita, ut nullum dicant obiectum contradistinctum ab omnibus possibilibus, sed solum sint plura obiecta possibilia, quæ ab indebito modo cognoscendi accipiant denominationem impossibilis. Iuxta primam sententiam, dum Deus cognoscit, quid esset facturus Lucifer, si esset Michael, cognoscit, quid esset facturus Lucifer, si per identitatem impossibilem exercitè, hoc est contradistinctam ab omnibus entibus possibilibus, esset Michael. Iuxta secundam sententiam Deus cognoscit, quod ex indebito modo concipiendi, quo intellectus componit Luciferum, cum Michael, determinatur ad affirmandum, quid Lucifer esset facturus.

26. Concluditur Deum per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscere omnes veritates necessarias; per scientiam mediam cognoscere omnes veritates contingentes Deo non liberas; per scientiam visionis cognoscere omnes veritates Deo liberas; per complexum harum trium scientiarum determinari ad cognoscendas omnes veritates, & ad soluendas omnes quæstiones proponibiles.

27. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas, propter quam Deus scit per scientiam mediam independentè à suis decretis absolute existentibus, quid esset facturum liberum arbitrium creatum, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo, quid autem esset facturum liberum arbitrium diuinum, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo, debet scire per scientiam visionis dependentè à decretis diuinis absolute existentibus, allata est supra num. 11.

28. Ad 2. distingo maiorem: quidquid esset facturum liberum arbitrium creatum, si poneretur in hoc, vel illo actu primo proximo, esset liberè facturum liberum arbitrium diuinum libertate immediata, & consequente hypothesis, seu suppositionem, nego; libertate mediata, & antecedente hypothesis, seu

sup.

suppositionem, concedo maiorem; concedo minorem; & distinguo consequens; ergo Deus per scientiam mediam scit, quid sub eadem hypothese esset liberè facturum liberum, arbitrium diuinum, libertate mediata, concedo; libertate immediata, nego consequentiam, & eius suppositum. Sensus nostræ conclusionis est, quod Deus dependenter à suis decretis liberis absolutè existentibus, ac proinde non per scientiam mediam, sed visionis, scit quid ipsemet esset facturus sub hypothese, sub qua esset immediatè liber ad faciendum, hoc, vel oppositum, e. g. sub hypothese, quod haberet hanc, vel illam scientiam mediam directam, sub qua esset immediatè liber ad Mundum creandum, vel non creandum, &c; sed sub hypothese, quod liberum arbitrium creatum constitueretur in hoc, vel illo actu primo ad se conuertendum, vel non conuertendum, Deus non esset consequenter ad hypotheseim immediatè liber ad illud conuertendum, vel non conuertendum, sed solum liberum arbitrium creatum esset immediatè liberum libertate consequente hypotheseim ad se conuertendum, vel non conuertendum; ergo quid sub hac hypothese esset Deus facturus sine libertate immediata, solo libero arbitrio creato exercente libertatem immediatam, Deus videt per scientiam mediam directam independentem ab omni suo decreto absolutè existente: e. g. Deus per scientiam mediam videt, quod si Iudas vocaretur hac vocatione, liberè libertate immediata traderet Christum, Deo, posita illa vocatione, permittente talem traditionem sine libertate immediata consequente dationem talis vocationis.

29. Dices: si Deus posita tali vocatione, non est immediatè liber ad Petrum conuertendum, & ad permittendam proditionem Iudæ, quo pacto liberè Petrum conuertit, & liberè permittit proditionem Iudæ?

30. Respondeo, quod liberè conuertit Petrum libertate antecedenti hypotheseim, seu vocationem. Nam posita scientia media, qua videt, quod si dederit talem vocationem, Petrus liberè conuertetur, est immediatè liber ad dandam illam vocationem, & sic ad liberè conuertendum; & posita scientia media, qua videt, quod si dederit Iudæ talem vocationem, Iudas liberè traderet, est immediatè liber ad dandam illam vocationem, & sic ad permittendum, vt Iudas liberè tradat. Eadem igitur conuersio Petri est Deo libera libertate constituta per scientiam mediam, & antecedente vocationem; est libera Petro libertate consequente vocationem; ideoque quod Petrus si acceperit vocationem, conuerteretur, Deus videt per scientiam mediam directam independentem à decretis absolutè existentibus; quod Deus si habuerit hanc scientiam mediam, dabit talem vocationem, & conuertet Petrum, Deus videt dependenter à suo decreto absolutè existente, & sic per scientiam

tiam non mediam, sed visionis.

31. Ad 3. nego maiorem, ac dico, quod in diuersis signis Deus cognoscit, quid esset facturum liberum arbitrium creatum, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo, ac quid esset facturum liberum arbitrium diuinum, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo. Ratio est, quia tria sunt præcipua signa diuinæ cognitionis. Primum est, in quo cognoscit veritates omnino necessarias per scientiam simplicis intelligentiæ. Secundum est, in quo cognoscit veritates contingentes cognitione Deo non libera, sed dirigente ad actus liberos. Tertium est, in quo cognoscit veritates contingentes cognitione Deo libera; sed cognitio, qua Deus conditionatè cognoscit, quid esset facturum, liberum arbitrium creatum, si constitueretur in hoc, vel illo actu primo proximo, non est Deo libera, sed dirigit Deum ad actus liberos, adeoque est in secundo signo; cognitio autem, qua Deus cognoscit, quid ipsemet esset facturus, si haberet alias scientias medias, est Deo libera, adeoque est in tertio signo; ergo Deus non in eodem signo cognoscit, quid esset facturum liberum arbitrium creatum, & quid esset facturum liberum arbitrium diuinum.

32. Debet aduerti, quod dum dicitur, quod Deus in eo signo, in quo habet vnam scientiam, non habet aliam, affirmatur, quod Deus ab æterno, & semper habet omnem suam scientiam, & negatur solum modus habendi chimericus; puta dum dicitur, quod Deus in priori ad decreta non cognoscit, quid ipse Deus esset liberè facturus, si haberet alias scientias medias, affirmatur, quod ab æterno, & semper cognoscit, quid esset liberè facturus, si haberet alias scientias medias, ac solum negatur, quod id cognoscat modo chimerico, hoc est cognitione directiua ad decreta libera Deo, quæ cognitio non esset Deo libera, siquidem hoc significat *cognoscere in priori ad decreta*.

34. Ad 4. concedo antecedens, & primam consequentiam, ac nego secundam consequentiam. Dux istæ veritates conditionatæ, si Iudas habuisset talem vocationem, fuisset conuersus: si Deus habuisset hanc scientiam mediam, dedisset Iudæ vocationem, qua fuisset conuersus; conueniunt in hoc, quod vtrique sufficienter determinat diuinum intellectum ad cognitionem sui; at differunt per hoc, quod prima, cum non sit Deo libera, est independens ab omni diuino decreto absolutè existente, ac proinde determinat Deum ad cognitionem sui independentem ab omni diuino decreto absolutè existente: Secunda cum sit Deo essentialiter libera libertate absolutè existente, dependet essentialiter ab aliquo actu libero Dei absolutè existente, ac proinde non potest Deum determinare ad cognitionem sui, nisi dependenter ab aliquo decreto diuino absolutè existente.

35. Ad 5. concedo sequelam, quod nimirum Deus debeat necessario habere decreta, per quæ decernat, quidquid esset facturum, si habuisset quamlibet scientiam mediam possibilem, quam non habuit de facto: ac negotalem sequelam esse absurdam, immò dico absurdum esse oppositum. Ratio est, quia spectat ad perfectionem liberi arbitrii habentis actum primum proximum, & cognitionem sufficientissimam ad determinandum, quid esset facturum pro omnibus circumstantiis possibilibus, ut non remaneat quodammodo suspensum, sed determinet, quid esset facturum pro omnibus circumstantiis possibilibus; sed liberum arbitrium diuinum per scientiam simplicis intelligentiæ, & per scientiam mediam constituitur in actu primo proximo, &

sufficientissimo ad determinandum, quid esset facturum pro omnibus circumstantiis possibilibus; ergo spectat ad perfectionem Dei, ut id determinet, & ut non remaneat quodammodo suspensum. Hinc sequitur, quod sicut Deus non potest dicere; *Ego nihil volo decernere circa creationem alterius Mundi*, sic non potest dicere, *Ego nihil volo decernere circa ea, quæ facturus essem, si haberem alias scientias medias*. Ratio vtriusque est, quia Deus non potest retinere suum liberum arbitrium suspensum circa vllum obiectum. Porro dari in Deo hæc decreta conditionata docuit expresse Molina in sua Concordia Antuerpiæ edita anno 1595. quæst. 14. art. 13. disp. 52. Parag. *Illud hoc loco obseruandum.*

